tiam diſpoſuit. Itaque cum hæc ſubmiſſio habeat pro objecto rem, quæ vere digna eſt obſervantia, hæc non debet eſſe dumtaxat exterior, & meræ cæremoniæ, verum etiam interior; videlicet complecti debet confeſſionem ſuperioritatis, ac magnitudinis reipſa exiſtentis in iis, qui obſervantur. Hanc ob cauſam Apoſtolus commendat Fidelibus, ut ſint ſubjecti poteſtatibus non ſolum propter pœnæ metum; verum etiam propter conſcientiæ cauſam. *Non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*. *Idem Tomo 2.*

Rom. 13.

Dignitas per ſe nullo eſt in diſcrimine; uſus ejuſdem pretium conſtituit.

Sacra Biblia immutabilis omnium ſenſuum noſtrorum regula, duos varios nobis inſpirat de dignitate; modo etiam ait, quod magnum eſt coram hominibus eſſe abominationem coram Deo; modo docet, nullam eſſe poteſtatem, quæ non ſit a Deo, & quaſcumque poteſtates, quæ in terris ſunt, ab illo fuiſſe conſtitutas. Ibi ad honorum contemptum in nobis ciendum oſtendit, Aman ambitioſum Regis amicum, qui abuſus Domini ſui gratia poſteritati inviſum ſe præbet, & extremum ſibi ſupplicium promeretur. Hic ad eos nobis commendandos in Joſeph nobis exhibet fidelem miniſtrum, qui diutina virtutis ſuæ experientia ad primos honores attollitur, ac in tanto dignitatis gradu per conſiliorum ſuorum fidelitatem perſeverat, omnem dignitatem ſuam ad Principis ſui gloriam, populorum felicitatem, domus ſuæ ſalutem convertens; ſibique tantum reſervans jugem laborem, cui vacat, & nitorem innocuum, quo ſupra cæteros emicat. Quid hæc ſibi vult ſenſuum inter ſe in ſpeciem oppoſitorum contradictio? Niſi quod dignitas nullo per ſe in diſcrimine eſt, ſed uſum illius efficere, ut de illius pretio dijudicetur, & poſtquam aliquis per legitimas vias aſcenderit, nonniſi per eaſdem ſe in eodem gradu tueri? Hoc ſi abſit, nulla vera in mundo dignitas eſt; perit qui ambitione excæcatus, vel abundantia corruptus ſua abutitur dignitate, ut ſuis cupiditatibus obſequatur. Salutem ibi ſuam operatur, qui Religione illuſtratus agnoſcit, ſe propter alios dumtaxat magnum eſſe; dignitates quo magis nos attollunt, eo magis nos ſubjicere; & per earum fulgorem interire, qui per uſum illarum ſe nequaquam ſanctificat. *Recens Auctor*.

S. Bernardi monitum ad Terræ Principes.

En quibus verbis S. Bernardus gratulaturus cuidam ſuorum Diſcipulorum, qui ad primum Eccleſiæ ſolium nuperrime evaſerat, tantam dignitatem, ſuum illi potius dolorem teſtatur. Verum eſt, Sancte Pater, me extrinſecus nequaquam illius expertem fuiſſe lætitiæ qua omnes propter collatam ſibi dignitatem exultant, ſed ingemui, & dolore confectus ſum propter te in ſecreto cordis mei: neque enim gradum quem tenes cogitare poſſum, quin lapſum reformidem. Quo eminentior eſt dignitas, eo caſus mihi horribilior videtur. Intueor quod es, ac inde, quid tibi ſit metuendum dimetior; ſcriptum enim eſt: *Homo cum in honore eſſet, non intellexit*. Quin ergo ob ſtatum tuum intumeſcas, ne aliquando *forte contingat* tibi miſerabilem illam emittere vocem; *A facie iræ indignationis tuæ elevans alliſiſti me*. Tu enim hodie in ampliſſimo quidem loco es, non in tutiſſimo. *P. Bourdalove in Dominicali*.

Pſalm. 48.

Bernard.

Principes eſſe debent ſubjecti, Deo, & in hac ſubjectione vera dignitas eorum conſiſtit.

En quomodo cum Antoninis, atque Severis licet idolorum cultoribus loquebatur Tertullianus. Neque ſe illis adulari credebat, cum eos ſuper homines, immo etiam ſuper Deos collocaret; ſuper homines quidem, quia erant Cæſares, & hominibus imperitabant; ſupra Deos vero, quia vivebant, cum Dii mortui eſſent. *Ante omnes, & ſuper omnes. Quidni? cum ſuper omnes homines, qui utique vivunt, & mortuis anteſtant*. Ille tamen non timebat, licet ante rogos, atque ſecures, quominus idolatris hiſce imperatoribus prædicaret Deum, Deum viventem, Deum, quem & ipſi Deum unum, potentiæ ſuæ auctorem, conſervatoremque cognoſcebant, Deum hunc primum eſſe potentem, ipſos vero ſecundos, vel primos poſt illum. *A quo ſunt ſecundi, poſt quem primi*. Illos non poſſe ignorare hanc ſubordinationem; quia cum omnia poſſent ſuper reliquos, ſuper Deum hunc ſe nihil poſſe ſentiebant, a quo & vitam, & poteſtatem hauſerant: *Adverſus quem valere non poſſunt, per hunc ſe valere cognoſcunt*. Potiſſimum vero illis perſuaſum eſſe debebat, ſubordinationem hanc non ſolum ipſis non turpem eſſe, verum etiam fontem gloriæ, & magnitudinis; re enim vera ideo erant magni, quia erant, & cognoſcebant ſe Deo eſſe minores: *Ideo magnus eſt, quia Cœlo minor eſt*. *P. de la Rue Sermone pro die feſto Nativitatis Domini*.

Tertul. Apol. c. 30.

Principes uti debent ſua auctoritate, ut Deo ſerviatur.

Si Moyſes miſſus ut Hebræis Dei legem doceret ad idolorum cultum conſtituendum eadem uſus eſſet potentia, qua cœlitus indutus fuerat: Si Joſue electus a Deo ad erigendum Iſrael ſuper Jebuſæorum, & Amalecitarum interitum, ad eorum proferendum imperium iiſdem uſus fuiſſet armis, quorum imperium Deus ipſi commiſerat; quænam perduellionis eſſet culpa, quæ perfidia? Hoc quotidie vos facitis, o terræ Principes, cum exiſtimatione, & auctoritate, quam vobis contulit Deus ſuper infirmos, hac abutimini, ut veſtra jura divinis poſthabeantur; cum flocci facitis domeſticorum veſtrorum flagitia, miniſtrorum avaritiam, ſubditorum impietatem; dummodo jugum veſtrum patiantur, veſtriſque pareant cupiditatibus; cum minimas quidem injuriæ vobis illatæ ſuſpiciones vos irritant, & nullo habetis in diſcrimine illas, quæ inferuntur Deo. Potentes eſtis, verum ſub Deo; non igitur potentes eſtis, niſi ut ſerviatis Deo. *P. de la Rue in Quadrageſima; Sermone de uſu auctoritatis*.

Principes felices dici poſſunt cum juſte regnant.

Beati vocantur Principes, S. Auguſtinus ait, cum juſte regnant; cum inter ſummos honores, qui ſibi deferuntur, & obſequia, quæ ſibi adhibentur, meminerunt ſe homines eſſe ab aliis non diſſimiles; cum præcipue ſua utuntur potentia ad ſtatuendum, extendendumque divini cultus imperium; cum Deum timent, diligunt, eique ſerviunt; cum præferunt poſſeſſioni dignitatis ſuæ regnum cœleſte, in quo nullos metuent potentiæ ſocios, cum lenti erunt ad puniendum, & ad parcendum faciles; cum pænas non exercent niſi propter bonum, & ſalutem regni ſui, non autem ut propriis ultionibus ſatisfaciant; cum indulgentes non ſunt, ut vitiorum faveant impunitati, ſed noxiorum correctioni ſuffragentur; cum in occaſionibus, in quibus ſeverius agere tenentur, rigorem hunc temperant aliqua actione ſuavitatis, atque clementiæ, & liberali effuſione beneficiorum. En cui bono inſervire debent auctoritas, potentia, magnitudo Principum, cæteraque cum interiora, tum exteriora bona quæ recipiunt a Deo. *Tourneux in anno Chriſtiano, Tomo 10.*

Licet genus nobilibus minime conferat qualitatem realem, jure tamen aliis præferendi ſunt ubi paria ſint merita.

Genus, ac nobilitatem ſortitum fuiſſe ſecundum homines, idem eſt, ac genus ſuum a ſpectatiſſimis genitoribus ſecundum mundi ordinem hauſiſſe; ſed hæc nativitas nullum per ſe confert animi, vel corporis bonum; nullum adimit vitium, & plura in nobilibus æque ac in aliis deprehenduntur. Nulla igitur adeſt ſolida ratio, quæ magis commendet nobiles præ illis, quibus hoc negatum eſt. Tamen quia oportet inter homines ordinem eſſe, jure quibuſdam in locis conſtitutum eſt, viros hujuſmodi eſſe aliis præferendos eiſque nonnullas honoris prærogativas eſſe concedendas. Si hic omnia ſubſiſterent, nihil niſi æquum eſſet in noſtro conceptu nobilitatis; ſed proceditur. Ex hoc ordine ad hominum arbitrium ſtatuto ſine ratione aliqua ex iiſdem perſonis deſumpta, fit ordo naturalis, & inevitabilis, eumque conſueſcimus intueri tamquam aliquid inhærens eſſentiæ illorum, quibus hæc prælatio defertur. *Ex Speciminibus Ethicis Tomo 2.*

Principes uti debent ſua auctoritate ac poteſtate ad majorem Dei gloriam.

Cum viri Principes a Deo acceperint ſuam auctoritatem, ac poteſtatem ad majorem nominis ejuſdem gloriam, hac propter Deum uti debent; hoc eſt, propter Deum illis faciendum eſt quidquid facere poſſunt, & ipſorum potentia norma eſt officiorum ſuorum. Inſpiciendum illis dumtaxat eſt, quid valeant: certum quippe eſt, illis, quidquid valent eſſe efficiendum. Si parum poſſunt, parum facere tenentur; ſi multum poſſunt, eorum creſcit obligatio pro incremento potentiæ. *Ibidem*.

Jus habent medendi malis omnibus, & efficiendi ut Leges in Regno excipiantur.

Edicta in Regno acceptata poteſtatem Principibus viris conferunt quampluribus malis medendi. Jus habent exempli gratia prohibendi, ne quis aleæ ſe mancipet, interdicendi choreas diebus feſtis, efficiendi, ut ſerventur aliæ id genus ſanctiones, quarum obſervantia quamplurima flagitia repelleret. Qui ergo pias conſuetudines invehere vel invectas tueri poſſunt, ad id omnino tenentur, & Principes poſſunt, cum Regni edicta illis conferunt auctoritatem. Ita cum hoc munere non perfunguntur, per præfectos ſuos non invigilant, non deeſt dubitandi cauſa, utrum ſe debeant reos credere ſcelere omnium, quibus mederi debuerunt. *Ibidem*.

Tenentur pariter extrudere vitia ex iis locis, ubi auctoritate pollent.

Si omnibus Principum officiis addentur illa, quæ oriuntur ex poteſtate, quam habent, variis medicinam afferendi malis ea in ditione, qua tenent; ſi addatur quidquid facere poſſunt ad extrudendum ſua auctoritate, verbis, exemplo luxum, blaſphemiam, libidinem, aleam, licentiam, & pleroſque alios vitiorum fontes, omnia juxta hæc duo principia regantur, Principibus quidem omnia pro viribus efficienda eſſe, & horum officiorum omiſſione eos noxios fieri criminum omnium, quæ non prohibuerint; aliqua concipietur imago terribilium hujus miniſterii periculorum. Tamen hæc peccatorum congeries, quorum, quin ſibi religioni vertant, prægravantur, non admodum ab illis viventibus adhuc percipitur. Rumor, qui juxta illos accidit, iis ſtuporem immittit, & externa objecta, quibus extra ſe rapiuntur, prohibent, ne videant. *Ibidem*.

Tenentur quoque omnia quæ poſſunt procurare bona in locis ad quæ ſua ſe extendit auctoritas.

Principi iis in locis, ubi pollet auctoritate, faciendum eſt, quidquid faciendi poteſtatem habet pro bono populorum, & Eccleſiæ: omnes id facere tenentur viri nobiles in agris, & domibus ſuis. Magiſtratus debet efficere, quidquid faciendi jus Provincia illi credita tribuit, ut juſtitia reddatur; & ſingulis denique in miniſterio ſuo faciendum eſt omne bonum, quod poſſunt, ne talentum a Deo traditum inutile maneat. Hæc regula triplici verbo præſcribitur, ſed praxis longius extenditur; ut enim omnia in rectum ordinem redigantur, & ut omnes auferantur abuſus, nequaquam alia re opus eſſet, niſi ut, qui in manibus habent auctoritatem, omni uterentur poteſtate ſua ad hoc, ut Dei, Eccleſiæque leges obſervarentur. *Ibidem*.

Tenemur obſervare ſummos viros, & quid in illis colendum ſit.

Fideles facere nequeunt, quominus conſcientia adducti eam ſummis viris adhibeant reverentiam, quæ ipſis debetur; ita ſæpe illos colunt magis, quam par ſit; colunt quippe in illis opes, & alia, quæ præ cordis nequitia diligunt, & quæ neque cultum, neque obſervantiam merentur. Honor igitur eſt neſcio quid Principum virorum conditioni inhærens; & honor hic juſtus eſt, quia, ut a nobis probatum fuit, juſtis, legitimiſque rationibus nititur. *Ibidem*.

Cum Nobiles pluribus ſint vitiis obnoxii difficilius ſalutem conſequuntur.

Mundi hujus viri nobiles difficilius ſalutem ſuam operantur, & majori in pereundi periculo verſantur, quam alii. Quomodo enim fieri poteſt, ut qua bonis, & honoribus nitet, non intumeſcat, illa habeat tamquam non ſua, iiſque tantum ad ſuum miniſterium utatur. Si potentes viri iſta non appeterent, legitimus eorum uſus ipſis eſſet facilior; ſed iis pleni ſunt, eaque ardentius, quam cæteri, concupiſcunt; repleti ſunt concupiſcentia, qua opes, nitorem, & voluptates depereunt; & hæ opes, hic nitor, hæ voluptates ſeſe illis offerunt inceſſanter. Non poſſunt umquam, ut alii, hæc omnino ſibi interdicere; tamen illis æque ac aliis nefas eſt in iis immorari, iis frui, iiſque oblectari. Ergo in pereundi majori periculo verſantur, quam alii. *Ibid.*

Status magnitudinis, quem imponit Deus, poteſt cum ſubmiſſione acceptari, ſine præſumptione quæri, & cupiri non poteſt.

Si Principum ſtatus talis eſt, qualis nobis exhibetur, patet, illum bene tolerari poſſe, cum illum imponit Deus, & acceptari poſſe cum ſubmiſſione ad voluntatem ipſius, ſed ultro conquiri citra præſumptionem, & imprudentiam non poſſe. Hoc eſſe oportet conſilium providentiæ, & voluntatis Dei, quæ conſolatur nos, quemadmodum gratia illius ſuſtinere nos debet: quamobrem Scriptura docens, quid ipſi quærere debeamus, monet nequaquam magnos honores, inſigneſque Provincias nobis eſſe petendas: *Noli quærere a Domino Ducatum, neque a Rege Cathedram honoris*; & ſuadet, ne objiciamus oculis populi noſtra flagitia regimen illius accipientes. *Ibidem*.

Eccli. 7.

Nobilium exempla quam valeant ad populos in bonum, vel malum permovendos.

Geſtit Eccleſia magnorum virorum virtutem mortalibus proponere, quatenus magis aptam ad hominum mentem præ virtute aliorum permovendam. Certum quippe eſt nil aptius eſſe ad ſuperbiam, mollitiem, impœnitentiam parvulorum frangendam Principum virorum humilitate, mortificatione, pœnitentia: illorum exemplum vim obtinet peculiarem, eorumque magnitudo non majori pollet auctoritate ad virtutem ſuadendam, quam ad vitium probandum. Ad id facti ſumus, ut illam cum admiratione ſuſpiciamus, & facile ad imitandum impellimur, quod admiramur. Quamobrem æquum eſt, Eccleſiam illis uti in bonum, ut dæmon utebatur in malum, ac inde illa totidem efficiat ſalutis inſtrumenta, quemadmodum ille effecerat damnationis. *Ibidem*.

Nobiles ideo contemnunt parvulos, quia ſeipſos ignorant.

Omnis furor, impotentia, ſuperbia Principum virorum inde fluit, quia ſeipſos ignorant; cum difficile ſit, quod, qui ſeipſos cæteris pares intrinſecus putant, & quibus perſuaſum eſt, nihil in ſeipſis inveniri, quod mereatur exiguas illas prærogativas, quibus a Deo præ aliis cumulati ſunt, inſolentius, & imperioſius ſeſe gerant cum aliis. *Ibidem*.

Cum Principes auctoritatem ſuam a Deo receperint, hac uti non poſſunt, niſi juxta illas conditiones quas illis præſcribit Deus.

Verum eſt dignitatem eſſe participationem auctoritatis, & potentiæ Dei ſuper homines, & ſummos viros hanc ab ipſo Deo accepiſſe. Sciendum eſt tamen, quibus conditionibus, & in quem finem Deus illis hanc auctoritatem, & poteſtatem communicet. Cum enim hanc a Deo ſolum recipiant, eam legitime nequeunt poſſidere niſi ſub iis conditionibus, quibus Deus illam tribuit, eaque uti non valent niſi ob eos fines, quos Deus illis præſcribit. Ad evitandum igitur abuſum, in quem Principes auctoritatem ſuam convertere poſſent, conditionem ſuam conſiderare debent tamquam miniſterium aliquod, & officium, non autem veluti qualitatem ſuæ nobilitati inhærentem. Neceſſe eſt illos intrinſecus avulſos eſſe, illam tamquam a ſe alienam intueri, quæ illos neque in ſeipſis perfectiores, neque Deo acceptiores efficit, & quæ illis confert dumtaxat adminicula ad majus bonum, vel malum efficiendum pro modo, quo iis perfungentur muneribus, quæ ipſis obeunda ſunt. Illis perſuaſum eſſe debet, tunc tantum bonum, malumve uſum miniſterii ſui ſuum eſſe, ſibique eſſe permanſurum; nam mortis eorum momento magnitudo omnis auferetur, ipſique ſecum afferent ſolum bona, vel mala, quæ in eo ſtatu geſſerint. *Ibidem*.

DISCORDIA,

DISSIDIUM, DISSENSIO, JURGIUM &c.

MONITUM.

PRIMO ſtatim intuitu liquet, hoc argumentum, quod agit de vitio Charitati erga Proximum ex diametro oppoſito, & quod ſine odio, & inimicitiis fere eſſe nequit, ſub Charitatis Titulo contineri non poſſe, licet non ſemel virtus cum oppoſito vitio a nobis fuerit conjuncta. Res, de qua hic agitur, nimis eſt ampla, nimiſque neceſſaria, ita ut ſeorſim omnino ſit pertractanda, quin, nonniſi indirecte, de Charitate, injuriarum venia, inimicorumque amore incidat ſermo.

Diſcordia, atque diſſenſio paſſim in Rebus publicis, familiis, Eccleſia graſſatur, & nonnumquam etiam inter viros bonos irrepit, & novit Deus, quot mala, quot vaſtationes pariat, ubicumque invenitur; quam operoſum ſit eidem afferre medicinam, & quot ſcelerum cauſa eſſe conſueverit. Quamobrem nihil hac magis Concionatoris zelum debet excitare; cumque malum hoc ſit omnibus in civitatibus, atque ſocietatibus omnibus vulgatiſſimum, numquam in irritum ferri illius poteſt oratio, quæ ſemper uberrimum eſt fructum relatura. Immo audeo dicere, illum numquam rite munere ſuo perfuncturum, niſi omnes induſtriæ nervos ad diſſenſiones conciliandas impenderit.

Notandum hic tamen jurgia, quæ inter eos ſuboriuntur, quorum cor unum erat, non ſemper ejuſdem generis eſſe, neque ſemper ab eodem fonte manare. Nos vero in eo peculiariter immorabimur, quod vulgatius, & notius eſt, in lite videlicet, quæ licet juſta ſit, & unica etiam ad illatæ nobis injuriæ reparationem expo-

scendam ratio, ea tamen sævissimarum inimicitiarum, atque injustitiarum gravissimarum causa, & occasio existere consuevit. Argumentum hoc delicatum est, atque summa cura invigilandum est, ne hac in re nimis dicatur, simulque ne saceantur abusus, qui in litibus peragendis occurrunt, tum eorum culpa qui litem ultro, citroque inferunt, sustinentque, tum eorum qui juri dicendo præpositi sunt; qui quidem sexcentis modis peccare possunt contra jus illud, quod dissidentibus partibus dicere tenentur.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus argumenti Synopsis.

I. PRIMUM concionis systema, quod ultro sese offerat, contra eos est, qui ferunt dissidia, qui eorum auctores sunt, vel qui sermonibus suis, aut alia quavis ratione illa fovent, & alunt. Pro textu assumi ea possunt Evangelii verba, Matth. 13. *Inimicus homo hoc fecit*, ac ostendi, hujus farinæ mortales esse vere 1. Dei inimicos, quem graviter lædunt; 2. inimicos hominum, humanæque societatis, quam laniant, inter conjunctissimos etiam rixas, discordiasque serendo; 3. suimetipsorum inimicos, propter eam, quam sibi conflant, perniciem.

Punctum primum: Qui discordiam serit inter eos, qui arctis necessitudinis vinculis erant antea conjuncti, apertissimus est Dei inimicus: *inimicus homo hoc fecit*; 1. Quia illius in hoc mundo regnum evertit, quod, ex S. Pauli sententia, in justitia, pace, gaudioque consistit. Per hæc enim Deus regnat in nobis, quippe Regnum suum in charitate constituit; qui autem serit discordias, hanc aufert charitatem, pacem, quæ inter Fideles esse debet, evertens. Quamobrem Spiritus Sanctus affirmat sex esse ea, quæ ipse odit, septimum vero maxime perhorrescere, atque pati non posse, eum videlicet, qui inter fratres serit dissidia. Hinc autem sequitur, quod cum sit inimicus Dei ratione prorsus diversa, quam per reliqua scelera, Deus vicissim se illius peculiari ratione inimicum esse testatur. 2. Dei est inimicus, quia destruit opus Filii Dei, pacem videlicet, atque concordiam, quam in mundum attulit, quam proprio sanguine illevit, quam enixius mortalibus omnibus commendavit. 3. Quia, cum discordia, atque dissensio paci adversetur, quam Deus unus conferre potest, quodammodo irritat Deum, eumque tamquam adversarium provocat, qui pacem tanto labore ab eodem constitutam infringit; subditos illius contra ipsum ad rebellionem excitat; vel, si mavis, domesticus est ejusdem inimicus, magis periculosus, & perniciosus, quam qui aperte ipsi bellum indicunt, &c.

Punctum alterum: Qui serit discordiam, vel fovet inimicitias, hominum, humanæque societatis est inimicus; alios enim contra alios componit, eosque sejungit, qui arctissimis naturæ, sanguinisque vinculis conjuncti esse deberent. Nullus hostis majus malum, majoremque perniciem inferre potest. Latus hic patet campus amplificandi ea mala, quæ ex discordiis oriuntur, inimicitias, quas dissidia gignunt, rixas, quas excitant, injurias, contumelias, querimonias, & præ etiam clades &c. Nonne florentissima Regna, opulentissimas familias, optime institutas Respublicas, quæ nonnisi propriis viribus, & armis dirui poterant, una discordia prostravit? Qui jugiter hos tumultus ciet, has dissensiones, hæc jurgia in civitatibus, familiis, societatibus, causa est malorum omnium, quæ inde proficiscuntur: *Inimicus homo hoc fecit*. Ostendi deinde potest difficultas ignis succensi extinguendi, & medendi malo, quod verbum imprudens, narratio aliqua seu vera, seu ficta, aliæque rationes, quibus uti quis potest ad tantum hoc incendium, quod non semper prævideri potest, excitandum, peperere.

Punctum tertium: Qui discordiarum auctor est inter alios, suimetipsius etiam infensus est inimicus, & licet inquirat, ac nonnumquam etiam suam utilitatem inveniat in eorum dissensione, quos suis obstare consiliis arbitratur, majus tamen sibi, quam reliquis, malum procurat. 1. Etenim quot peccatorum causa est? ideoque reus, atque rationem Deo rediturus. Quomodo illatas reparare potest injurias? 2. Hi discordiarum fatores non Dei solum, verum hominum quoque sibi conflant indignationem, eosque mortales omnes perhorrent, &, quemadmodum ex amicis inimicos fecere, ubi eorum nequitia detegitur, qui divisi fuere, odium omne contra dissensionis suæ auctores conjungunt. Demum quibus Dei, hominumque maledictis sese illi subjiciunt? Quin post hujus vitæ spatium in cœlo recipiantur, quod pacis regnum est, nonne expectare debent, sese cum dæmonibus, quorum ministri fuere, & quorum improbitatem imitati sunt, æternis ignibus esse addicendos? &c.

II. *Omne regnum in se divisum desolabitur*. Matth. 12. Deus tria particulariter habet regna, quæ discordia consuevit evertere, vel ingenti saltem depopulatione vastare.

Primum est Dei Regnum in nobismetipsis: *Regnum Dei intra vos est*. Luc. 17. charitas videlicet, per quam regnat in cordibus nostris, & in omnibus animæ nostræ facultatibus. Regnum hoc discordia perturbat, atque evertit per eos affectus, quos excitat, invidiam, odium, inimicitias &c.

Alterum est Ecclesia, quæ proprie Dei Regnum est in terra. Quem enim ibi tumultum, quam perturbationem ibi sententiarum parit divisio? Quot animas schismata perdiderunt? Quam clademnon attulit hæresis, & sententiarum varietas in iis, quæ pertinent ad Fidem?

Tertium est Regnum Cœlorum, quod omnes speramus, & ad cujus possessionem omnes jure contendimus. Verum cum hoc pacis Regnum Pacificis tantum destinatum sit, quemadmodum ipse Dei Filius testatur, discordia, atque dissensio, quæ inter Fideles obrepit, inde quamplurimos prohibet, atque ingentem ibi gignit vastitatem illi similem, quam olim rebellis Angelus peperit.

III. 1. Unionis, & concordiæ necessitas in qualibet societate, quæcumque illa sit; ea enim si desit, vigere non potest.

2. Mala, quæ discordiam, atque dissensionem consequuntur.

IV. 1. Discordiam, atque dissidium in familiam quampiam, vel inter homines inferre, quicumque illi sint, vel summa est imprudentia, vel summa nequitia.

2. Sedare lites, finem contentionibus injicere, dissidentes conciliare, magna sapientia est, & maximum charitatis officium.

V. 1. Inter homines mutuo charitatis vinculo conjunctos ferere jurgia diabolicum est, ac summopere perniciosum.

2. Scelus est quamplurimorum aliorum origo, quæ in familiis, ac societatibus sese multiplicant, atque perennant.

VI. 1. Dissensionum, atque rixarum causæ, quæ sint. 1. superbia, vel vanagloria; disceptatur, ac vincere contenditur; nullus competitor ferri potest; inimicitiæ cum quovis gerendæ sunt, quicumque ille sit, qui nobiscum de dignitate contendat. 2. Neque minus pacis, & unionis inimica est invidia, & zelotypia. 3. Avaritia denique, ac bonorum congerendorum aviditas efficit, ut lites intententur, & ubique discordia feratur.

2. Effectus, quos illæ gignunt, maxime sunt perpernicio si. 1. Cordis pacem perturbant ira, dolore, funestisque affectibus, quos in illis excitant, qui lite contendunt. 2. Rixas pariunt, contentiones, ac improperia. 3. Bella, & mutuas inimicitias &c.

VII. Tota etiam concio circa lites versari potest.

1. Pro virili sunt evitandæ, ideoque pro pacis bono aliquid proprii boni, atque utilitatis sacrificandum.

2. Cum nobis injustæ lites intentantur, atque nostrum esse putamus, injuriam propulsare, hoc cum suavitate, & Christiana moderatione faciendum est.

3. Cum nobis lis adjudicatur, charitate ducti cum adversatiis mitius agere, sin autem victi judicio abimus, æquo animo jacturam pati sine quærimonia, & obmurmuratione tenemur.

VIII. 1. Quamtumvis justa sit lis, ingens semper malum est ad illam vel inferendam, vel propulsandam accedere.

2. Cum de nugis lis est inter duos, qui sunt pertinacissimi juris sui assertores, hæc est plurimorum peccatorum origo; & nefas est, sese illis immiscere.

3. Quæcumque lis assumatur, sive judicio victores, seu victi discedamus, majorem, ut plurimum jacturam reportamus, quam si statim omnia cedere maluissemus, vel, si cum adversariis conventione facta, aliquid de jure nostro remittere maluissemus.

IX. In litibus quicumque futurus est eventus, tria vulgo amittimus, propter quæ omni studio illæ sunt evitandæ.

1. Requiem, & pacem spiritus, propter sollicitudines, & anxietates, quibus torquemur, eventus incerti, necnon propter labores exantlandos antequam propositum finem assequamur.

2. Conscientiam; eo quod læditur Charitas simultatibus contra adversarios, obtrectationibus, calumniis, versutiis, dolis ac præ etiam gravissimis injustitiis, quæ committuntur.

3. Pecuniam sumptibus nimiis, qui in litibus, causisque peragendis sunt erogandi, & quorum vix umquam finis invenitur: ita ut, ubi etiam nobis fuerit lis adjudicata, intelligamus tandem nos majorem subiisse jacturam, quam si numquam litem fuissemus aggressi.

X. 1. Lites pro virili parte sunt evitandæ propter dissentiones, atque inimicitias, quarum origo sunt.

2. Quamprimum sunt ad finem redigendæ, ubi vel inferre, vel illatas sustinere tenemur; atque christiano viro dignior via est, utrinque arbitris rem judicandam, componendamque committere, eorumque judicio acquiescere.

3. Nisi aliter componi res possint, bona fide lite agendum est citra dolum, & injustitiam.

XI. Cum de litibus agatur, duo quæstiones proponi possunt duplici concionis parte solvendæ.

Altera: Lite certandum est: Salutis, bonorum temporalium, & propriæ existimationis utilitas nequaquam certandum esse suadent. Hæc prima veritas est, quæ facile probari potest, & prima quæstio, quæ ita solvitur.

Altera: Ubi lite certandum sit, quid faciendum, ut citra conscientiæ detrimentum certetur? 1. Sine astu in quæstionibus agendum est; 2. sine odio contra adversarios; 3. sine sævitia jus est persequendum. Duplici verbo: pericula, quibus sese objicit, qui litem instituit, præcauriones servandæ, ut sine peccato lis transigatur. *Desumptum ex libro, qui inscribitur: Essais de Sermons. Tomo 2. Dominic.*

XII. Lex Justitiæ, & Charitatis duæ sunt lances, quibus jura nostra ponderanda sunt, ubi aliquid ambiguum accesserit; justitia charitate, & charitas justitia temperandæ sunt; ab alterutra earum recedere, sese damnare est. Hodierna igitur die necessarium hoc temperamentum docere in animo est. Ex proximo justitiam petis, proximus ex te charitatem. In duabus Concionis partibus duarum harum legum inter se nexum videamus. In priori consideremus, quousque pervenire potest justitia; in posteriori vero, quousque charitas pertingere potest. *Ex Manuscripto Sermone.*

XIII. 1. Litium origo superbia est, & avaritia: nemo alteri vult cedere, neque aliquid sui juris remittere; cupiditas vero facit, ut ad aliena invadenda bona semper præsto simus.

2. Mala, quæ lites pariunt. Hæc quidem & spiritualia sunt, & temporalia satis nota.

3. Rationes, quibus evitari possunt mala, quæ lites gignant, ubi omnino lite agere teneamur, sunt 1. pro virili adniti, ut inita conventione cum adversario concilieris; 2. conari, ne adversæ parti noceas, neque de eodem obloquaris; 3. ne ullus adsit dolus.

XIV. Cum ex corde dissensiones oriantur, ibique foveantur, alantur, ibi etiam funestissima gignunt mala: inde enim ejiciunt justitiam, pacem, & gaudium, per quæ illic regnabat Deus, ibique regnum suum constituerat, dicente Apostolo: *Regnum Dei justitia, pax, & gaudium*. Et in hoc desolatio consistit, quam dissensiones efficiunt in corde.

1. Ibi justitiam evertunt, evertentes charitatem, & amicitiam Dei per ea scelera, quorum sunt causa.

2. Pacem, & gaudium expellunt, cor ipsum sexcentis affectibus laniantes, ac dividentes, atque illud sexcentis opplentes curis, quæ omnem vitæ auferunt suavitatem. Hæc duo nos maxime movere debent, & duplicem sermonis partem efficere possunt. *Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta 3. Quadragesimæ Dominica.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad proposita Concionum Systemata adornanda.

Sancti Patres. SAnctus Cyprianus *libr. de Simplicitate Prælat.* scelus eorum exaggerat, qui inter alios ferunt discordias.

Idem in Epistola ad Donatum ostendit, quinam esset furor litigantium ævo suo, & quot injustitiæ admittebantur in foro.

S. Augustinus *Sermone 37. eorum*, qui a Patre Sirmondo inventi fuere, ad pacem, & concordiam hortatur, eosque vituperat, qui lites, contentiones, & rixas amant.

Idem *l. 9. Confess. c. 9.* laudat S. Monicam parentem suam, quod discordias pacare, ubicumque posset, adniteretur.

Idem in Regulis, quas Religiosis proposuit, eos toto pectore a dissensionibus, rixisque conatur avertere.

S. Gregorius *in Pastor. admon. 23. & 24.* scita quædam tradit consilia ad discordias, atque dissidia evitanda.

Idem *l. 34. in Job* loquitur de pace, atque discordia cum inter bonos, tum inter malos.

Idem *l. 21. in Job*, docet sine patientia nullam in hominibus esse posse pacem, atque concordiam.

S. Chrysostomus *Homil. 16. in 1. ad Corinth.* ostendit pro virili a litibus exercendis esse abstinendum, omnemque illatam nobis injuriam, juxta Apostoli consilium, æqui, bonique esse faciendam.

Idem in *Act. Apost.* ait, S. Barnabę a S. Paulo secessionem factam fuisse, ne, cum eorum variarent sententiæ, discordia inter ipsos oriretur, & charitas læderetur.

Auctor Operis imperfecti in S. Matthæum, quod S. Chrysostomo refertur acceptum, *homil. 12.* prolixum habet sermonem de periculis, quæ subeuntur ab iis, qui lites exercent, atque de injustitiis, ac dolis, qui in iis committuntur.

S. Bernardus *Serm. 29. in Cant.* eum explicans locum, *Filii matris meæ pugnaverunt contra me*, acriter in illos invehitur, qui pacem turbant, atque inter fratres serunt dissidia.

Idem in libro, cui titulus, *modus bene vivendi ad Sororem*, nihil prodesse docet in communi vivere, nisi voluntatum consensus adsit, sed ibi dissensio, atque discordia inveniatur.

Ascetici, aliique. Alphonsus Rodriguez *l. 1. tract. 4.* loquitur de rationibus servandi consensus, deque malis, quæ ex discordia proficiscuntur.

In libro, qui inscribitur *Essais de morale parte 4.* de litibus, atque dissidiis sermo est; & ibidem tomo 10. de contentionibus agitur.

In Morali Christiana *in Pater l. 7. sect. 2. art. 3.* ostenditur, Fidelibus lites exercendas non esse, & si quæ sit, quomodo agere liceat.

Cajetanus *in Opusc. tom. opusc. 17.* fusius hoc argumentum persequitur.

Drexellius *in Phaetonte* loquitur de jurgiis, & contentionibus.

Concionatores. Faber *Conc. 8. in Dominic. 5. post Paschæ, num. 2.*

Lambert in sermonibus de vita Ecclesiastica sermonem habet de Ecclesiasticorum consensu, ubi de dissensione, & discordia verba facit.

Apud Patrem le Jeune Oratorii Presbyterum tom. 5. sermonem de litibus invenies.

In sermonibus moralibus ejusdem argumenti sermo invenitur.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta sermonem habet hujus argumenti Tomo 2. Argumentorum particularium.

Idem in Quadragesima *tom. 2. Dom. 3.* peculiarem habet sermonem de dissensione, & discordia generatim.

Centuriatores. Peraldus *Tom. 2. de Peccato linguæ c. 10.*

Busæus in Panario. V. Discordia.

Idem in Viridario. V. Pax.

Lonher, Titulo discordia.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

Dixit Abraham ad Lot: Ne quæso sit jurgium inter me & te, & inter pastores meos, & pastores

res tuos; fratres enim sumus, &c. Genes.

Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus eum qui seminat inter fratres discordias. Prov. 6.

Qui meditatur discordias, diligit rixas. Ibid. 9.17.

Homo iracundus suscitat rixas. Ibid. 26.

Honor est homini, qui separat se a contentionibus. Ibid. 20.

Ejice derisorem, & exibit cum eo jurgium. Ibidem 22.

Inter superbos semper jurgia sunt. Prov. 13.

Labia stulti miscent se rixis, & os ejus jurgia provocat. Ibid. 18.

Homo apostata omni tempore jurgia seminat. Ibid. 6.

Homo perversus suscitat lites. Ibid. 16.

Semper jurgia quærit malus. Ibid. 17.

Ne litiges cum homine potente, ne forte incidas in manus illius. Eccl. 1.

Ne contendas cum viro loquplete, ne forte contra te constituat litem tibi. Ibid.

Cum iracundo non facias rixam. Ibid.

Homo iracundus incendit litem. Ibid. 28.

Abstine te a lite; & minues peccata. Eccli. 28.

Vir sapiens, si cum stulto contenderit, non inveniet requiem. Prov. 29.

Divisum est cor eorum, nunc interibunt. Osee 16.

Qui vult secum judicio contendere, & iunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Matth. 7.

Omne regnum divisum contra se desolabitur; & omnis civitas, vel domus divisa contra se non stabit. Matth. 12.

Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, & domus supra domum cadat. Luc. 11.

Multitudinis credentium erat cor unum & anima una. Act. 4.

Rogo vos fratres, ut observetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam didicistis, faciunt, & declinate ab illis. Ad Rom. 6.

Non est dissensionis Deus, sed pacis, sicut in omnibus Ecclesiis Sanctorum doceo. 2. ad Cor. 14.

Timeo, ne forte contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, seditiones sint inter vos. 1. ad Cor. 12.

Inimicitiæ, contentiones, æmulationes, rixæ, dissensiones, sectæ . . . & his similia; quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Ad Galat. 5.

Cum sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis? 1. ad Corinth. 3.

Quæ pacis sunt, sectemur. Ad Rom. 14.

Audio scissuras esse inter vos. 1. ad Cor. 7.

Commone testificans coram Deo; noli verbis contendere. 2. ad Timoth. 2.

Servum Domini non oportet litigare. Ibid.

Admone illos non litigiosos esse. Ad Titum cap. 3.

Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam. Ad Philip. 2.

Unde bella & lites in vobis? nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? Jacob. 4.

Ubi zelus, & contentio, ibi inconstantia, & omne opus pravum. Ibid. 3.

Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. 1. ad Corinth. 11.

Frater cum fratre judicio contendit, & hoc apud Infideles. Ibid. 6.

Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Ibidem.

Quod si invicem mordetis & comeditis, videte ne ab invicem consummemini. Ad Galat. 5.

Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum. Ps. 132.

Exempla ex Bibliis deprompta.

Exemplum Abrahæ & Loth.

SAnctus Patriarcha Abraham pacatam sub tabernaculis vitam degebat cum Loth nepote suo; cum nescio quid accidit, quod eorum pacem turbavit, eosque secedere coegit, ne aperta discordia eorum animos, atque voluntates divideret. Huic autem dissensioni occasionem præbuere ingentia bona, quæ ab utroque possidebantur; namque, uti memorat Scriptura, ea regio, quam incolebant, utrumque capere non poterat; & utriusque pastores ultro, citroque miscebant jurgia propter pastiones, quæ tot pecoribus satis esse non poterant. Nunc primum in Bibliis sermo de opibus accidit; ibique etiam sermo est de dissensione, atque discordia, quam illæ gignunt inter eos etiam, qui arctissimo consanguinitatis vinculo conjuncti sunt. Ita videtur illa præsertim ingentibus bonis, quę possidentur, inhærere; quod omnium sæculorum decursu satis multa exempla probarunt; quemadmodum e contra sola paupertas Evangelica, terrenarumque divitiarum abdicatio animarum consensum procurare, & fovere visa est: cujus rei testes sunt primi Fideles, quibus cor unum erat, & anima una, quia omnem possessionem abjecerant, nihilque proprium habebant. Cum Abraham primas hujus ignis adeo perniciosi scintillas perspexit, anima ipsius semper tranquilla perhorruit, neque pati potuit, ut spiritus diffidii in suam familiam obreperet. Ita malum in ipso statim ortu cupiens opprimere dixit ad Loth: *Ne quæso sit jurgium inter me, & te, & inter pastores meos, & pastores tuos; fratres enim sumus.* Deinde vero pacis amor, quod quidem maximum est hujus mundi bonum, illum impulit, ut proponeret nepoti suo secessionem, potiusquam simul semper, sed dissidentibus animis viverent. Sed ut innueret, hac in re communi dumtaxat se prospicere tranquillitati, ei optione relicta, inquit: *Si ad sinistram teris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam*; tantummodo secedamus, ut concordia servetur.

Exemplum Isaac.

Isaac, qui perfectissimus fuit paternarum virtutum imitator, ab Abraham hæreditario veluti jure exceperat hunc pacatum spiritum, jurgiorum, ac dissensionum inimicum; ad quæ evitanda eadem ratione usus est. Cessit videlicet, atque secessit ab eorum agris, cum quibus lis aliqua oboriri poterat propter ea bona, quæ jure fuerat adeptus, sed quæ sibi nequaquam tuenda, servandaque esse putavit cum pacis jactura; quod quidem bonorum omnium est pretiosissimum. Ab agris Gerare discessit, eo quod Abimelecho ibi terrarum dominanti magnæ opes illum in invidiam, & suspicionem adduxerant, ita ut diu cum eodem pax vigere non posset. Cum igitur pro bono pacis secessisset, in desertum abiit locum, ubi aurea permanserat Abraham, ibique rursus effodiendos curavit puteos, quos pater suus primum quidem effoderat, atque per invidiam loci illius incolę humo ingesta repleverant. Sed licet locus ille Isaaco jucundus esset, quippe qui Abrahæ patris sui permansione fuerat sanctificatus, nova jurgia inter Pastores oborta illum inde etiam expulere. Ita Sanctus hic Patriarcha, quem ubique Scriptura proponit tamquam perfectum patientię, & lenitatis exemplar, non cum potentioribus tantum dissensiones evitare studuit, sed neque suum jus persequi, neque cum abjectissimis hominibus certare passus est, ut cum omnibus æque pacem servaret.

Exemplum Jacob & Esau.

Dissensio inter Jacob, & Esau nequaquam felicem adeo eventum sortita est, licet Jacob fratri sui impotentię concesserit. Quemadmodum Deus elegerat Jacob ad altissima Providentię suæ explenda consilia, & jus Primogeniti, quod cum paterna benedictione fratri rapuerat, erat mysterium, de hoc minime loquor, licet ea fuerit causa eorum diffidii. Immo prætereo quoque certamen, quod in ipso matris utero incœperunt; non enim illud effectus esse potuit discordię, cui pares non erant. Sed loquor solum de illis effectibus, quos discordia illa produxit. Jacob quidem omni caruit culpa, quandoquidem illius opera usus est Deus, ut immutabilem Providentię suę dispositionem exequeretur: sed fraterni odii gravissimos effectus fubiit, ac pertulit. Paternam quippe domum relinquere coactus fuit ad fratris furorem evitandum, qui se illi vitam eripturum decieverat, & qui illi semper obluctatus, atque adversatus est, ita ut non sine peculiari divinæ Providentię subsidio Jacob odii, iræque fraternæ extremos effectus evaserit; futurus eorum malorum figura, quæ aliquando boni ab impiis cum quibus pacem servare minime potuissent, erant passuri.

Discordia, quæ inter Josephum, fratresque ejus oborta est, non habuit sanctum hunc Patriarcham auctorem; nullus enim unquam fuit spiritus suavior, nullum pacatius temperamentum, mitiusve ingenium, quam in hoc adolescentulo. Sed fratres, qui ab illius virtute, egregiisque dotibus quam maxime discrepabant, illum pati non poterant; quippe quod ipsorum flagitia redarguebat, ac de illis certiorem faciebat patrem, a quo præ cæteris propter morum integritatem, aliaque animi bona diligebatur. Cæterum cum Deus de illo mira disposuisset, & non obscura per somnium præbuisset indicia; puer hic innocenter ea fratribus, eidemque patri suo enarrabat, a quo sapienter corripiebatur, metuente, ne hæc fratrum illi conflarent invidiam; quod profecto probavit eventus. Illud vero ad rem nostram pertinet, quod in hac discordia, cujus causa erat levissima, fratres sui illum pati non poterant, nec ei *quidquam pacifice loqui*, ut inquit Scriptura: *Genes.* 37. eousque, ut tandem consilium eum de medio tollendi inierint, quod ea ratione executi sunt, quæ neminem fallit. Sed cum tandem eventu probata fuissent præsagia, quæ discordiæ occasionem præbuerant, Joseph fratribus suis pepercit, majora illis contulit bona, quam illi sibi mala inferre voluissent, reddiditque familiæ suæ pacem, tranquillitatem, & gaudium.

Apostolorum contentio.

Novum Testamentum aliquot nobis altercationum potius, quam dissensionum exempla suppeditat; ex quibus non aliud eruere possumus documentum, nisi mirum esse non debere, si quando in cœtibus, sanctissimisque societatibus contentio aliqua oriatur, & quamprimum afferri oportere medicinam, ne illa ad dissensionem usque, apertamque inimicitiam, quæ omnino charitatem ejiciat, progrediatur. Duo tantum delibabo exempla, quorum primum est illa contentio, quæ inter Apostolos oborta est, antequam perfecte a divino Præceptore suo fuissent edocti, videlicet, quisnam inter ipsos major futurus esset, ac cæteris præferendus. Sed litem diremit Salvator, cui illam aperire suppuduit, edicens in regno suo, non secus ac in schola eum maximum fore, qui humillimus esset, ac se omnium minimum arbitraretur.

Secessio S. Barnabæ a S. Paulo.

Alterum vero exemplum levis est illa dissensio, quæ in Actis Apostolorum refertur inter Sanctos Paulum, & Barnabam, quorum variabant sententiæ in aliquo disciplinæ puncto, quod observandum erat, vel statuendum. Qua in re Sanctus Chrysostomus animadvertit, illos sese loco separasse; ne sententiarum varietas voluntates separaret, ac lederet Charitatem. Fidei consonum nequaquam est, duos illos Apostolos in gratia confirmatos, atque Dei jussu conjunctos, ut eadem in regione eodem fungerentur ministerio, eo usque fuisse progressuros, ut in apertam dissensionem, atque inimicitiam erumperent, quæ magnum sane in Ecclesia scandalum peperisset. Sed ut edoceremur, discordiæ ignem ita esse metuendum, ut statim minima quævis scintilla diligentius sit extinguenda; & cum illis, qui vix consentire possunt, simul commorandum non esse, ad omnem discordiæ occasionem vitandam.

APPLICATIONES.

Quam contraria Christianæ religioni sit fratrum, & cognatorum discordia.

NE *quæso sit jurgium inter me, & te: fratres enim sumus.* Genes. 13. Nostis, quam suave sit nomen fratris, & quam validum ejus cognationis vinculum, ut eamdem familiam componentium affectus invicem coalescant: sed, ut Sanctus Augustinus, *Serm.* 25. *de Verbis Domini*, ait, fraternitas, quam habemus in CHRISTO JESU melior est, quam quæ per carnem habetur, & sanguinem: *Melior est fraternitas Christi quam sanguinis*; & Fideles præstantiori modo sunt fratres, quia Deum habent Patrem, atque eodem gratiæ, & sanctitatis vinculo animantur. Unde illa existit obligatio, qua tenentur, simul pacatam vitam ducere, unionem, & charitatem servare, necnon diffidia, rixas, litesque evitare. Si enim olim prodigii loco habitum est, quod fratres duo Esau, & Jacob in matris suæ utero certarent, atque locum conceptionis suæ in certaminis theatrum converterent; longe majus, ac terribilius prodigium est in ordine gratiæ, videre Fideles sibimet invicem bellum inferentes in visceribus JESU CHRISTI, & in Ecclesiæ sinu, ubi nativitatem sortiti sunt; atque secum tamquam hostes decertare ibidem, ubi fratrum qualitatem recipiunt. *Biroat Sermone sexto Adventus.*

Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum; sicut unguentum &c. Psalm. 132. Cur nam Propheta pretioso unguento eorum comparat consensum, qui in eadem domo morantur, eamdemque familiam constituunt? Pacati mortales quid habent commune cum unguento effuso, & a summo capite ad imas vestimentorum oras diffluente? Nisi quod quemadmodum suavis odor unguenti latere nequit, sed quocumque sese effundit, ac eminus etiam percipitur: similiter nihil majorem nominis celebritatem adfert, nihilque præstantius præbet exemplum (quod quidem in Scripturis boni odoris nomine indigitatur) quam conjunctio, pax, & concordia, quæ in familia, & communitate, quæcumque illa sit, dominatur? Talis erat inter primos Fideles consensus, quibus cor unum erat, & anima una; quod tantam Christianæ Religioni laudem pepererit, ut passim diceretur: videre Christianos homines, quomodo sese mutuo diligant, atque arcto necessitudinis vinculo sibi cohæreant! Nihil e contra majus scandalum adfert, & ut ita dicam, magis infuavem odorem emittit, quam diffidium, & discordia inter fratres, & consanguineos, qui arctissimis charitatis vinculis simul debent esse conjuncti.

Qui discordiam ferunt jure zizaniorum satores vocantur.

Zizania autem filii sunt nequam. Matth. 13. Nemo adeo biblici sensus est expers, qui ignoret justos bonas fruges vocari, quas Pater Familias congregari jubet, in horreum deferendas. At quam rationem habent impii cum lolio, vel zizaniis, nisi quod in hac vita cum bonis frugibus commiscentur, quemadmodum, & lolium cum tritico confusum est, cum adhuc flavescit in agro? Verum cum non omnes impii iisdem vitiis infecti sint, quæri rursus potest, quinam sunt illi, quibus aptius tribui potest hoc nomen zizaniorum in Ecclesiæ agro satorum? Interpretes quidam respondent, eos esse, qui pacem Ecclesiæ perturbant, ac inter alios ferunt dissidia: 1. quia hi sunt Dæmonis Ministri, & Vicarii illius inimici, de quo loquitur Evangelium, & qui in id unum intentus est, ut ubique serat discordias: *Inimicus homo hoc fecit.* Matth. 13. 2. quia malum inferunt noctu; videlicet, donec illi, quibus vigilandum est ad concordiam servandam, sopore capti sunt, vel non satis vigilant, ut omnem discordiam prohibeant: 3. quia prohibent fructum omnem, ac omne bonum, quod ex societate percipi posset, quemadmodum zizania omnem messis lætitiam perturbant. *P. Faber in Dom. 5. post Epiph.*

Divisio rebus in omnibus excidium parit.

Non ædificabis altare de sectis lapidibus. Exod. 20. Quodnam latere mysterium potest in his verbis, quibus præcipit Deus, ut sibi altare ædificetur? Quorsum explicite vetat, ne ex pluribus lapidibus fiat sectis, simulque compactis, sed uno tantum lapide ad hoc opus electo? Hoc videlicet innuit, ex cujusdam Patris sententia, Deum in Ecclesia sua unitatem requirere; & velle, ut lapides, quibus illi exhibentur, qui illam componunt, atque Aræ inferviendæ dicati sunt, nequaquam secti sint, vel ulla dissensione diviti: hi enim cum Deo conversari non possunt, ex quo simul convivere nequeunt, ac fovent discordias.

Divisum est cor eorum, nunc interibunt. Osee 10. Neminem latet; in animatis rebus divisionem esse doloris causam, & cordi, quod vitæ principium, & forus est levissimum etiam vulnus mortem inferre. Id ædibus parietum hiatus vel interni fint, vel externi, illarum ruinas portendunt. In corporibus omnibus, quæ ex variis partibus coalescunt, ex quo partes illæ secedunt, ac distrahuntur, non alio opus est indicio, ut illa non diu duratura intelligantur. Hoc ipsum de societatibus omnibus dicendum est; quo si discordia pervaserit, si factiones, seditionesque extiterint, næ ille quidem brevi interibunt; singuli enim seorsim agent, eos ultro citroque discordia reddet infensos, omnes denique sese mutuo delebunt.

Non impedias Musicam: Eccli. 32. Quam utilitatem hoc adfert consilium, seu pro bono publico, seu pro moribus privatorum, discordi voce musicis non obstrepere muneris, vel dissonis fidibus suavem non turbare concentum? S. Chrysostomus, qui ex Patribus melius assecutus est, meliusque Scripturæ sensum explicuit, docet, concordiam, optimumque eorum consensum, qui simul vivunt, suavissimum esse, armonicumque concentum, sed quemadmodum satis est, unam cytharæ cordam oberrare ut injucundus sonus existat; ita satis esse hominem jurgiosum, atque difficilem, ut omnis suavitas societatis auferatur, atque in illam invehatur discordia.

PARAGRAPHUS IV.

Sanctorum Patrum loci, atque sententiæ hujus argumenti.

TRiumphus *dæmonum est dissensio Christianorum.* Aug. Serm. 156. de temp.

Unde ista inter fratres discordia, qui licet unius ute-

uteri, non sunt unius animi? Idem, serm. 17. Addiorum.

Discordiam in corde tuo diabolus seminat: nonne ille est semper discordiarum seminator, dissensionis author, & origo rixarum? Idem, Serm. 10. ex communibus.

Hi solent latebras malæ defensionis inquirere, qui contentionis sunt cupidiores, quam veritatis. Idem, Epist. 154. ad Paucent.

In collatione disputationis cavendum est ne perrumpatur in litem. Idem l. 4. contra Crescon.

Concordia in rebus humanis, magna res est, sed rara; ab omnibus laudatur, a paucis custoditur. Idem, Serm. 37. ex recenter inventis.

Alia hæreditas litigando acquiritur; ista, nempe cœlestis, litigando amittitur: nolentes eam perdere, volunt litigare. Ibidem.

Ille litigat, qui adversario suo male vult: cum vult pati detrimentum, & se augmentum; illi vult aliquid decedere, & sibi accedere. Ibidem.

Lites aut nullas habeatis, aut quam celerrime finiatis; ne ira crescat in odium, & trabem de festuca, & animum faciat homicidam. Idem, in regula quam Monach. præscripsit.

Si in uno membro totum corpus violatur, utique in uno homine communio totius humanitatis solvitur; violatur natura generis humani, & sanctæ Ecclesiæ congregatio. Ambros. lib. 3. offic. cap. 3.

Melius est emigrare cum gratia, quam cohabitare cum discordia; melius est abire sine lite, quam cum jurgio residere. Idem, in l. de Patriarch.

Contentio est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris. Idem.

Quidquid separat fratres, infernus est appellandus. Hieron. l. 3. in Osæam.

Cum persona per contrarietatem displicet, nec recta quæ protulerit, placent. Greg. l. 9. Moral.

Qui jurgia seminant, in uno malo innumera peragunt; quia seminando discordiam, charitatem quæ virtutum omnium est mater, extinguunt. Idem.

Numquam servari concordiam, nisi per solam patientiam, valet. Idem l. 21. in Job.

Ut perniciosum est si unitas deest bonis, ita perniciosus est si non deest malis. Idem, l. 34. in Job.

Nulla re amicitiæ facilius dissuuntur, quam diversa animorum sententia. Basil. orat. 1. de Pace.

Contentiones a principio exiles quidem esse solent, & facile curantur; at procedente tempore auctæ, insanabiles omnino evadunt. Idem, orat. 9.

Bellum non indictum, inter homines excitat discordias. Chrys. Hom. 13. in Matth.

Quidquid capit divisionem, & interitum capiat necesse est. Lactant. l. 1. Instit.

Laqueus est mortis implicatio litis. Chrysologus Serm. 53.

Jubet Christus ne litigemus; vide Christianos, quomodo præcepta Christi contemnunt. Salvian. l. 4. de Provid.

Contentio lites pascit, faces odiorum accendit, concordiam rumpit. Isidor. l. 2. Solil.

Cogi debet esse quietus, qui suo vitio renuit esse pacificus. Cassiod. l. 1. Epist. 1.

Si filii Dei vocantur qui pacem faciunt: proculdubio sunt satanæ filii qui confundunt. Greg. Naz. orat. 20.

Os diaboli est seminatoris discordiæ os. S. Bonav. serm. 2. fer. 4. Pent.

Respice volatilia cœli, respice bestias agri, attende pisces in mari; non tantam divisionem in eis invenies, sicut in hominibus esse patet. Idem, Serm. 8. inf. oct. Epiphan.

Qui ab unitate dividitur, ne dubites quin ab eo recesserit spiritus vitæ. Bern. in festo S. Michael.

Sicut in pace factus est locus Domini, sic in discordia locum diabolo fieri manifestum est. Idem, ser. 3. de Dedicat.

Væ homini illi, per quem unitatis vinculum turbatur. Idem, serm. 20. in Cantic.

Infelix victoria est, qua superans hominem, succumbit vitio. Idem, Serm. ad Milit.

Summopere jurgia fuge; nam contra parem contendere, anceps est; cum superiore, furiosum; cum inferiore, sordidum. Cassiod. Epist. 22.

Concordia res parvæ crescunt; discordia, maxima dilabuntur. Sallust. in Jugurtha.

Principium discordiæ est, commune aliquid suum facere. Seneca.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ fontibus ad hoc argumentum hauriri potest.

Quid sit discordia.

DIscordia est separatio, ac divisio voluntatum inter eos, qui antea vinculis charitatis in eodem sensu, iisdemque consiliis erant conjuncti. Aliam discordiæ notionem tradunt philosophi, quidem putantes odium esse, quod sese intra cordis angustias continere non valens in apertam erumpit inimicitiam. Cum hæc discordia, vel mutua dissensio charitatem infringit, peccatum mortale nequaquam abesse D. Thomas 2. 2. *q.* 36. *art.* 1. auctor est. Et confiat ratio: si enim S. Joannes Evangelista illum gratiæ mortuum esse testatur, qui non diligit fratrem suum; discordia charitatem infringens citra odium esse non potest, quod illius partem constituit, & quod ab ea tantummodo differt quod illud sæpe secretum, abditumque est, hæc vero semper cognita atque aperta; & addit vulgo scandalum, quod recens peccatum est, vel circumflantia, qua peccatum primum augetur.

Quomodo fieri possit quod discordia non sit peccatum.

Animadvertendum interim est cum eodem Div. Thoma: 1. Discordiam, quæ charitatis nexum non dirimit, & in mera sensuum varietate consistit (dummodo ingens absit pertinacia, & gravis error in iis, quæ ad salutem sunt necessaria) non esse mortale peccatum, quandoquidem eruditissimi etiam viri, ac ii, qui majori sanctitatis laude floruerunt, non semper in eadem fuere sententia, & sæpe in iis, quæ ad doctrinam pertinent in contrariam partem disputarunt: 2. Discordiam, atque dissensionem, quæ inter duos oritur, in altero tantum peccatum esse posse; quod accidit, cum quidam mordicus rem injustam affirmat, quæ vel contra Deum est, vel contra Proximum; alter vero suum jus tuetur, atque pro justitia decertat. 3. Sæpius peccatum esse utrinque reciprocum æque ac dissensionem, cum uterque obfirmato est animo, neque cedere vult, neque ullam admittere compositionem, sed quocumque pretio victoriam referre contendit.

Discordia, atque dissensio, quæ inter personas ejusdem ordinis, ejusdemque muneris accidit, vel inter eos, qui ad finem eumdem contendere debent, ut plurimum ex ambitione, & vanagloria proficiscitur: nemo competitori suo cedere vult; omnesque victoriam referre contendunt. Nonnumquam enim invidiæ, atque zelotypiæ est filia: numquam æquo probamus animo, quæ ab alio dicuntur, aut fiunt; eisque semper adversamur. Aliquando etiam secretus est livor, quem in aliquem concepimus, temperamentum triste, quod nihil pati potest, & ob quamlibet causam exardescit. Hoc etiam proficisci potest ex quodam ultionis spiritu, propter quem obnitimur contra ea, quæcumque aggredi conatur ille, a quo fuimus lacessiti; despicitur, incommodatur, atque præclarum aliquid nos affecutos putamus, cum nobis obligit, ut irritos illius conatus effecerimus, eumque de spe sua dejecerimus. Sed ut plurimum cupiditas litium mater extitit. *Meum, ac tuum* discordiæ causa fuerunt, & hodierna quoque die lites, atque certamina ubique fuerunt.

De contentionibus.

Contentio idem non est, atque discordia, licet altera sæpe sit alterius causa. S. Thomas eam vocat, atque definit, bellum inter privatos sine publica auctoritate bellatum, sed ex sola personalium voluntatum discessione peractum. Cum autem parvum hoc bellum injustum sit, quippe quod sine legitima auctoritate suscipitur, atque factis, quemadmodum iis verbis, transigitur, hinc est, contentionem seu rixam numquam vacare culpa, itaut aggressor, qui adversarium injuste lacessit, mortali crimine excusari non possit propter injuriam proximo illatam: ille vero qui lacessitus est, ac injuste læsus culpa caret, cum se tuetur non sine moderamine inculpatæ tutelæ, & quantum opus est, ad eam, quę sibi infertur, propulsandam injuriam. Non excedit vero culpę venialis fines, cum motus odii, vel ultionis, qui illico excitatur, levis est, & non nimis tutelæ modum excedit; sed grave crimen est, cum animo nequam, atque odio, ultionisque referto vis infertur adversario, ut vel cæde, vel gravi aliquo detrimento afficiatur.

De Litibus.

Nemo profecto inficias ire potest, lites, quę sæpe fuere modo quidem causa, modo vero effectus discordiæ, ac dissensionis, tum in veteri, tum in novo testamento permissas fuisse; hæc unica via est, qua illata nobis injuria reparari potest; verumtamen fatendum quoque est difficillimum esse persequi in judicio jus suum, quin charitati officiatur; & plurimas requiri conditiones, ne illa lites exercendo infringatur. Notandum est igitur primo cum dicimus, vel prædicamus lites esse fugiendas, vel cum docet S. Paulus Dei servum ab illis procul esse debere, non affirmare nos, omnino litibus igni, & aqua esse interdictum; liquet enim non deesse legitimas causas litium inferendarum, atque sustinendarum: significamus autem viam hanc, nonnisi, ubi extrema necessitas urgeat, esse tentandam, cum nulla superest juris tuendi via. 2. Lites agi posse ob ea, quæ magni momenti sunt, exempli gratia ad evitandam ingentem bonorum jacturam, vel gravissima damna, ad violentiam insensissimi adversarii excutiendam, ad insignem aliquam contumeliam injuriam, quæ acerbissimos habere posset effectus, ac similibus locum præbere flagitiis; præsertim vero id cogendum, ut qui nobis cum iniquius egerit, respiscat eum modum intuitus, quo causam nostram persequimur. 3. Antequam in jus rapiamus adversarium, nihil intentatum esse relinquendum, ut arbitrorum, communiumque amicorum interventu lis dirimatur. 4. Non satis esse, litem, quam aggredimur, justam esse; verum etiam jure, & cum æquitate litem esse instituendam, cavendumque ab omnibus dolis, ambagibus, syngrapharum adulterationibus, neque causam calumniis, vel obtrectationibus esse peragendam, non fidem adversariis abrogandam; cum illis immitius non agendum, sed eorum, quantum licet, consulendum, & utilitati, & existimationi. 5. Denique difficillimum esse, immo etiam perrarum, citra crimen exercere lites, cum gravissimum adsit vel justitiæ, vel Charitatis legum violandarum periculum.

Causæ propter quas concordiam servare tenemur.

Ad concordiam sedulo servandam, & enixius evitandum quidquid eamdem potest evertere quam maxime prodest, meminisse, Deum simul omnes fideles, sibi inservientes coegisse, ut unum tantum corpus conficerent. In vobis ergo, inquit Apostolus, ad Ephes. 4. *Sit unum corpus, & unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ.* At si illis persuasum est, se non esse nisi spiritum unum, quod testatur Paulus; hæc validior adhuc est ratio, propter quam fideles quamlibet dissensionem perhorrescant. Exponit deinde Apostolus idem præcipua Religionis dogmata, ut inde semper eamdem inferat conclusionem: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus, & Pater omnium.* Hæ autem sunt illationes. Unus est Dominus, & hic Dominus imperat, ut servi omnes unum sint inter se. Una est fides; unum ex præcipuis articulis fidei hic est; velle Deum, ut omnes inservientes sibi sint perfecta charitate conjuncti. Unum est baptisma; per hoc sumus filii Patris illius, qui nihil impensius commendat filiis suis, nisi ut in unum corpus coalescant. Unus est Deus Pater omnium; nos vero Dei hujus omnes filii sumus. Ipse unus est; vult, nos omnes unum esse; vult etiam, unitatem perfectam, quæ inter se, Filiumque suum, sibi consubstantialem, atque coæternum, adest, esse illius unitatis exemplar, quam etiam, atque etiam mortalibus omnibus commendat.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci in hoc argumento.

Sine concordia nihil vigere potest.

MAxima mundi hujus opera nonnisi unione servantur; eorumque clades, atque interitus est, sejunctio. Ædes illę magnificæ, ubi natura, & ars certasse videntur, quidquid rarissimum, atque pretiosissimum est, ibi effulgeret, confusæ rerum moles essent, tristesque maceriæ, nisi eas unio tueretur, ac partes easdem componentes rite disponeret. Maxima flumina, quibus alluntur Provinciæ, & quorum aquæ ubertatem, & copiam quocumque ferunt, fugaces essent torrentes, ac rivuli sine nomine, si eorum aquæ discinderentur. Florentissimi, maximeque formidabiles exercitus non aliud profecto essent, nisi multitudo victimarum ad lanium deductarum, si discordia militum animos traheret in diversa. Hoc ipsum de JESU CHRISTI Ecclesia, quæ illius in hac terra regnum est, dicere oportet: Illa in sua perfectione subsistere nequit, nisi duplici unione, altera quidem cum capite suo, quod est JESUS CHRISTUS, altera vero cum Fidelibus per concordiam, pacem, & charitatem. Inde sequitur eos, qui diffidiis, jurgiis, contentionibus hanc unionem evertunt, quantum in ipsis est, hoc spirituale regnum diruere: *Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur.* Luc. 11. Itaque hujusmodi Fideles nequam rei sunt læsæ majestatis; majestatis inquam Divinæ, quandoquidem illius delent imperium, nempe Ecclesiam, & adversantur Spiritui Dei, ac ipsius JESU CHRISTI personæ, quę quidem sanctissima vinculum sunt intemerandam hanc unionem constituentia. *Pater Textor, Sermon. pro* 3. *Quadrag. Domin.*

Discordia passim viget.

Licet mortales ab aliis abhorrerent flagitiis, quę citra horrorem ne cogitari quidem possunt; hoc unum quæro, utrum ab inimicitiis, simultatibus, dissensionibus, jurgiis abhorrerent? Si hoc affirmabitis, prorsus oppositum probabo infinitis propemodum, innumerisque contentionibus, aversionibus, odiis, quæ in omne vitæ spatium producuntur, & vix cum vita ipsa inveniunt finem. Hæ sunt contentiones illæ, quæ quotidie inter parentes, & filios, inter uxores, & viros, oboriuntur. Amici maxime necessarii secedunt, & hæc dissensionum genera adeo sæva sunt, ut quibuslibet in occasionibus virus adspergant, ut plurimum ope nulla curandum. Hæc autem scelerum ope nulla curandum. Hæc autem scelerum ope eorum numero sunt, quæ ab Apostolo ad Roman. 13. *facta carnis* vocantur, quæ qui commiserint, cœlestis regni non erunt participes. *Abbas Trappensis Collatione pro tertia Adventus Dominica.*

Discordia Divino spiritui opposita.

Spiritus Sanctus Spiritus est amoris, & charitatis; ideoque JESUS CHRISTUS a Patre petiit, ut Discipuli sui unum essent, ac simul invicem unirentur, quemadmodum ipse cum Patre unum erant: *Sint unum, sicut & nos unum sumus.* Joa. 17. Hac eadem de causa unus tantum est Deus, unum Baptisma, una fides: *Unus Deus, una Fides, unum Baptisma*: ad Ephes. 4. Hic admirabilis erat effectus, quem gignebat Spiritus Sanctus in primis Fidelibus, quibus cor unum erat, & anima una. Cum Christiani omnes membra sint JESU CHRISTI; simul unum esse debent, quemadmodum membra sunt unum cum corpore. At quidnam discordia, & dissensio parit? ingentem hanc unionem dissolvit, ubicumque dissidium serit &c. *Effets de Sermons pour le* 3. *Dimanche du Careme.*

Discordiam serere magnum scelus.

Utrum nequius est, inter mortales dissensionem, atque discordiam serere, an in judicio falsum perhibere testimonium, & innocuum sanguinem effundere? Alterum quidem in uno sensu; alterum in alio. Peccatum, quod committis serens discordiam, suapte natura non adeo grave est ac homicidium, atque falsum testimonium: sed hoc ipsum crimen si consideretur in effectibus, quos secum trahit, quodammodo gravius est; quandoquidem cætera omnia nonnumquam complecti videtur, & quibusdam in occasionibus cædes, violentia, falsum testimonium, vindicta ex ipsa discordia oboriuntur. Cum animus exacerbatus est, nihil sibi cavet, nihil intentatum, nihil inausum relinquit &c. *Joly Propositione pro* 17. *post Pentecost. Dominica.*

Quam perniciosa res sit discordia.

Nemo sensus humani tam expers est, qui non agnoscat, domestica, atque civilia bella externis longe esse graviora, & magis periculosa; quos autem funestos effectus in familiis pariat discordia, quotidiana nos docet experientia. Evertere voluit Deus superbum opus Filiorum Adę, qui ut ambitioni, ac jactantiæ suæ facerent satis, monumentum extruere cœperant, quo nomen suum in universa terra celebritatem consequeretur æternam, turrim ædificantes, in Cœlum usque attollendam; Satis fuit eorum sermonem confundere; cumque populi ultro citroque, sensus suos non intelligerent, cœpto desistere, & hac illac in universas terrarum plagas sese effundere coacti sunt. Consensum autem adeo necessarium esse, Sanctus Petrus animadvertit, ut & inter eos requiratur, qui omnibus in locis dissensionis faces accendunt: Ait enim, dæmones sese nequaquam ultro, citroque lacessere execrationibus, atque blasphemiis; & juxta responsum, quod tradidit Salvator illis, a quibus accusabatur, quasi dæmonia in Beelzebub nomine ejiceret, Beelzebub ipse ad regni sui eversionem adlaboraret, si cum eo consentiret, a quo ejiciitur, & qui in mundum venit, ut homines ex illius tyrannide li-

liberaret. *Lambert Homilia in 3. Quadragesimæ Dominicam.*

Pacis, & concordiæ pulchritudo.

Deus unus est, & vult, nos simul omnes unum esse; vult immo, unitatem perfectam, quæ inter ipsum est, & Filium ab æterno genitum, esse unitatis ejus exemplar, quam mortalibus omnibus commendavit. Ideo S. Gregorius Nazianzenus affirmat, eos qui pacem amant, & oderunt quidquid eam perturbare potest, propius ad Deum accedere, eique magis similes fieri. O pretiosam unitatem! O thesaurum admirabilem! Quam charus es illis, qui tuum pretium agnoscunt! Quid intentatum relinquere mortales debent, ut te tueantur, cui non sese objiciunt detrimento, qui tui jacturam patiuntur? Unitatem amittere, a fratribus per discordiam secedere, idem est ac non esse amplius membrum ejus corporis, quod JESUS CHRISTUS effinxit, qui autem ad JESUM CHRISTUM non pertinet, illius est inimicus, & nonnisi diaboli membrum esse potest, cujus tyrannidi sese infelicissime mancipavit. *Idem, in sermonibus de Vita Ecclesiastica, serm. de Unione.*

Quam periculosa sit discordia.

Quemadmodum in substructione aliqua, Sanctus Chrysostomus inquit, cum lapides omnes fornicem componentes perfecte conjuncti sunt, ædificium firmum est, solidumque, ibique tuto, ac sine metu habitari potest; at si lapis quidam a cæteris dimoveatur, tunc omnia sunt metuenda; & levissima quælibet scissura gravissimam portendit ruinam, quę illam passim subsequitur; idem dicendum est de dissidiis, quæ inter mortales oriuntur, & quæ nihilominus sunt periculosa. Quomodo igitur Fideles omnes perhorrescere debent quodlibet dissidii genus? Quid præstandum non est, ut pax, atque concordia servetur? *Idem.*

Optime noverat Constantinus Imperator quam periculosæ opus plenum sit aleæ, quævis discordia; ideoque cum Nicænæ Synodo interfuit hac usus est arte, ut inter se discrepantium Præsulum dissidia sopiret. Eorum quamplures ad ipsum libellos attulerant, quibus mutuis criminationibus se ultro citroque apud Cæsarem acerbissime insimulabant. Imperator non sine gravissimo dolore illorum perlegens querimonias, ac reputans quantam afferre posset perniciem Episcoporum discordia, diem indixit, quo omnes simul ad illum deberent accedere; cumque stata illuxisset dies, jussit ingentem succendi ignem, in quem omnes sibi oblatos libellos conjecit. Deinde vero in clementiæ, ac lenitatis sensibus Episcopos allocutus est, ut difficillimum esset, eos etiam non tangi, qui animo essent magis percito, atque furenti. Deum nostrum verum judicem esse, inquit, a quo districto examine singulorum facta aliquando tandem sunt ponderanda, atque ad sacrum illius tribunal mortalium omnium causas justissima æquitate esse aliquando dijudicandas. Interim illos ad concordiam, atque unitatem exhortatus est, eisque palam ostendit, quanti referret, privata dissidia oblivioni tradere, ut unice in illud toto pectore incumberent, propter quod illuc convenerant.

Cavendum, ne discordiæ simus auctores.

Fidelis tenetur pro virili quantum in ipso est pacem tueri. Hinc conjicite quantum sit scelus eorum, qui non solum paci servandæ minime consulunt, verum etiam discordiæ faces accendunt, jurgia miscent, & fovent discordiam. Unicum fortasse protulistis verbum, quod imprudentibus etiam, & inconsultis elapsum est; at periculosæ hujus vocis effectus erant prævidendi. Quænam fuerit intentio vestra, ex malo, quod peperit, judicate. Fratribus pessimum discordiæ virus efflastis; ergo ex illis estis, quos Sapiens execratur: *Sex sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus.* Hoc autem septimum, quod non odit solum, verum etiam detestatur Deus, proculdubio scelus erit enorme. Quod autem? *Seminare inter fratres discordias. Idem.*

Superbia dissensionum omnium origo.

Licet affectus omnes funestæ sint dissensionum causæ, superbia tamen principem locum tenet: cum enim velit semper supra cæteros efferri, alii vero cedere atque subesse detrectet, necesse est, ut contentiones, rixæ, dissensiones oriantur. Hic prælationis, ac dominationis amor sæpe ipsam terrenorum bonorum cupiditatem antevertit; malumus etiam cum sumptu primos esse, & optime locatam ingentem auri vim credimus, ut eminentem aliquam auctoritatem, sæpe etiam commentitiam, dipiscamur. Si vulgatissima dissensionum, atque rixarum causa ambitio est, est etiam gravissimum ad eas sedandas, atque extinguendas obstaculum. Si cui superbo conditiones pacis proponantur, si eidem ostendas, ipsum forensibus confici sumptibus, & licet victor abiret judicio, sumptus longe majores fore, quam quidquid se per judicis sententiam sperat assecuturum; verum est, inquiet ille, at nolo, de me dici, me adversario meo cessisse; & licet omnia bona mea sibibus peragendis essent absumenda, sentiant omnes, volo, mihi neminem impune injuriam illatuum. *P. le Jeune, Oratorii Sacerdos.*

Sæpe urbis alicujus cives sese mutuo persequentur, neque fixul vivunt, nisi ut sese ultro citroque conentur opprimere. Omnes quærunt & suam, & proximi vitam efficere sollicitam dissidiis, atque contentionibus nullum finem habituris. Animadvertimus etiam animos inter se magis discrepare, ubi magis locorum propinquitate conjunguntur, quippe simultas, & odium communes sunt propinquitatis effectus, Nemo Sinensium domos, nemo Indorum sceptrum habere desiderat, invidia, atque zelotypia inter angustos fines continentur; quę procul sunt, non prospiciunt; illis inhærent, quæ cominus sunt: & discordia, rixæ, jurgia inter eos oriri consueverunt, qui ad eamdem anhelant utilitatem, ac idem bonum conantur acquirere. *Ex Petrarcha Tractatu de malis accolis, & de Inimicitiis.*

Nihil dicam de spiritu obstinationis, & contradictionis, de varietate sententiarum, & opinionum in iis, quę ad Religionem pertinent, neque de erroribus, qui nudę fidem Christianam afligunt. Recens adhuc est memoria malorum, quæ elapso sæculo acciderunt, ita ut quantam perniciem secum trahant, satis intelligi possit. Dicere sufficiat, nihil aptius esse ad populum animos dividendos, quam sententiarum varietas, cum agitur de Religione; hæ quippe gignunt schismata, contentiones, quæ degenerant in jurgia, invectivas, & nonnumquam etiam in factiones, quæ Ecclesiæ primum, mox etiam Regnorum, rerumque publicarum pacem perturbant. *P. Rapin in spiritu Christianismi.*

Discordia inter homines familiaris.

Quam difficile est, S. Augustinus inquit, cum mortalibus omnibus fovere pacem, & a nemine dissentire! Deus nos ad concordiam vocat, præcipique, ut inter nos pacem tueamur. Hic nobis propositus esse debet finis, omnesque industriæ nervi sunt contendendi, ut perfectam pacem assequamur. Attamen sæpius usuvenit, ut cum illis ipsis decertemus, quibus cupimus gratificari. Aliquis in errore versatur, tu illum inde studes ad veritatem adducere; ipse vero tibi acerbis, aculeatisque vocibus respondet. Nullibi fermè gentium vera inter fideles concordia deprehenditur; atque eæ adimplentur minæ, quibus olim per Jeremiam Prophetam portendit Deus futurum, ut Jerusalem arenæ tumulo similis fieret: *Dabo Jerusalem in acervos arenæ.* Jerem. 9. Ecclesia enim jamjam acervis dumtaxat arenæ fere constat, videlicet membris arentibus & siccis, quæ invicem minime coalescunt per interiorem Charitatis, Divini Spiritus unionem; est enim cœtus exterior, quamdam societatis speciem præseferens, sed quæ satis sibi non constat, & minima aura diffatur. Illud vero magis adhuc mirum est, quod hæc dissensio non in magna solum Ecclesiæ societate deprehenditur propter improbos homines, quibus repleta est; verum etiam in omnibus fere particularibus societatibus invenitur &c. *Essais de Morale Tomo 4.*

Pax, & concordia pro virili tuenda.

Quemadmodum Dei Filius improbat dissensiones, & simultates, quæ passim inter homines regnant; ita etiam, atque etiam pacem, atque concordiam nobis commendat. Ad hanc nos Spiritus Sanctus hortatur per os Regii Prophetæ: *Ps. 33. inquirere pacem, & persequere eam:* Apostolus quoque in Epistola ad Romanos *c. 12.* docet: *Si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus pacem habentes.* S. Chrysostomus ponderat verbum illud, *si fieri potest.* Nonnumquam enim, ait ille, contingit, ut pax servari nullatenus possit cum quibusdam hominibus, & quibusdam in occasionibus; veluti cum agitur de veritate, vel de pietate Christiana, quam alii corrumpere, aut evertere adnituntur. Apostolus inquit, quantum in vobis est, contendite, ut pax foveatur; nulli discordiæ, vel inimicitiæ occasionem præbete, si tamen aliquis ausus fuerit pietatem impetere, ejusque regulas proscindere; pacem relinquite, ut veritatem propugnetis, eamque ad extremum usque spiritum defendite, ita tamen, ut semper charitas erga illum servetur, contra quem est decertandum. Cum illo non tamquam inimico, sed amicissimo agetis, lenibus verbis illi ob oculos statuentes errorem ipsius, & veritatem, qualis reipsa est: hoc enim ea verba significant: *Quantum in nobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Cum illo perfecti amici necessitudinem servate, ita tamen ut veritati non inferatis injuriam. *Ex Homiliis moralibus Homil. pro 3. Quadragesimæ Dom.*

Ratio evitandi jurgia & dissensiones.

Sed etiam ille cavendus est, qui videri potest, quicumque irritat, quicumque incitat, quicumque exasperat, quicumque incentiva luxuriæ, aut libidinis suggerit. Quando ergo aliquis nobis conviciatur, lacessit, ad violentiam provocat, ad jurgium vocat: tunc silentium exerceamus, tunc muti fieri non erubescamus. Peccator est enim, qui nos provocat, qui injuriam facit, & nos similes sui fieri desiderat. Denique si taceas, si dissimules, solet dicere: Quid taces? loquere si audes. Sed non audes: mutus es, elinguem te feci. Si ergo taceas plus rumpitur: vinctum se reputat, irrisum, posthabitum, atque illusum. *Ex Divo Ambrosio de Officiis c. 5.*

Cum S. Gregorius Nazianzenus videret Episcopos, qui Constantinopolim convenerant, turbatos esse, atque infrendere propter Episcopatum, quem ille invitus susceperat; non solum pro bono pacis illum abdicavit, sed enixis precibus Theodosium Imperatorem exoravit, ut abdicationem a se factam dignaretur admittere. Hoc unum, o Cæsar, posco, inquit ille, videlicet ut ingens laboris pondus, quod subii, me dimittentem patiaris. De Barbaris quidem egisti triumphum, sed gloria tua, maximumque tui Imperii trophæum est pacem, atque concordiam inter Episcopos constituere. Dissentiunt illi inter se, & unica via, qua eorum consensioni consulere possis, est mei Episcopatus abdicatio. Ecclesiæ navis agitata est: & quoniam propter me hæc procella detonuit, projice me in mare, & sedabitur. Imperator, atque Patres qui eminentem virtutem, insignemque Præsulis doctrinam cognoverant, hac petitione, & hoc sermone adeo perculsi fuerunt, ut ægre permiserint, ipsum se Episcopatu abdicare. *Eædem Homiliæ morales.*

Avaritia ut plurimum, litium, ac dissidiorum causa.

Meum, ac Tuum funestissima est plurimorum malorum causa, præsertim vero litium, & contentionum. Cum consanguineis, ac necessariis pacem tuemur, donec nulla nobis cum illis res est: sed simul ac vel utilitas aliqua acquirenda, vel incommodum evitandum est, statim inter eos, qui conjunctissimi videbantur, simultas exoritur. Tantum abest, ut qui provectiori sunt ætate, in quibus ideo juventutis æstus deferbuit, in hujusmodi certaminibus minus ferventes sint, quod immo sæpe videmus, quo magis ad senium accedimus, eo magis divitiarum amorem in nobis augeri, atque nos cupidius minimum quodpiam lucellum consectari; solum hujus cupiditatis intuitu in corde omnes divinas, humanasque rationes extinguere, propter quas nosmet temperare deberemus, ac nos inexorabiles fieri in iis, quæ deberi nobis putamus. Inde tot molestę lites oriuntur, quas plurimi maximum vitæ humanæ flagellum esse arbitrantur, cum interius ad eas evitandas nihil de jure suo imminutum patiantur. Hæ autem lites ut plurimum ex levissimis proficiscuntur initiis. Qui causam agunt, ad hoc se teneri putant, quia ad bona sua vel servanda, vel augenda illud necessarium esse opinantur. Putant se quamprimum ex molestis hisce contentionibus evasuros; & sæpe vel non sufficit ipsorum vita, ut eorum finem possint attingere, vel illæ fiunt familiæ ipsorum excidium, ac semper in magnum discrimen, & conscientiam, & salutem eorum adducunt. *P. le Jeune. Sermone de Litibus.*

Litigantium peccata.

Quisnam litem alicui intentat, & pro virili non adnititur, ut mala audiat adversarius, palam non jactitet illum hominem esse litigiosum, versutum, fallarium, satis in foro cognitum, & id genus similia, quorum fons numquam exhauritur? Sed præterquamquod hujusmodi crimina, ut plurimum conficta sunt, vel saltem temere intentata, tibine illa fas esset objicere? Quodnam tibi jus est in alienam existimationem? Esto ille versutus, fur, chirographorum adulterator, & quodcumque libuerit, quid hoc tua, tuæque interest causæ? At esto, aliquid inde utilitatis tua causa percipiat: quid tibi prodest, hæc in vulgus proferre, & sexcentorum auribus ingerere, quibus tecum res nulla est, qui cum neque caudidici, neque judices tui sint, his de rebus edoceri non indigent? *Idem.*

Dei obliviscuntur, qui lites exercent.

Donec lis fervet, ut plurimum in summa Dei oblivione versamur. Ad Sacramenta ne cogitamus quidem accedere, lite penitus occupati huic uni vacamus, neque locus aliis objectis ullus reliquus est. O Deus! Quænam effunduntur preces? quomodo tunc temporis sacris adstamus Mysteriis? Quam mentis attentionem sanctissimis Religionis officiis impendimus? Quomodo JESUM CHRISTUM adoramus, qui super ara pro inimicis suis immolatur, tunc temporis, cum animus exacerbatus est, & fortasse odit, quos antea diligebat? Quomodo habere gratias JESU CHRISTO possumus, qui omnia, & seipsum quoque tribuit hominibus, cum interim litibus aliena auferre bona contendimus? At fierine tandem potest, ut inter hos motus, atque tumultus mentis requiem, & cordis pacem tueamur? *Idem.*

S. Francisius Salesius ait, si quis adest, qui in litibus, & quæstionibus exercendis modum servet, dici posse, jam quæstionem habitam esse de ejus virtutibus pro ejusdem Apotheosi. At libentius affirmo, inquit ille, quod & lites miscere, & servare modum, rationem, rectumque sensum, adeo operosum est, adeoque rarum, ut Sanctis ipsis hæc simul præstare vix permittatur. Contendamus, Auditores, ad Cœlestem hæreditatem, pro qua lis nulla suscipienda est. Nonnumquam sane terrenæ hæreditates litibus inferendis obtinentur; & exercendis litibus plerumque Cœli hæreditatem amittimus. Et constat hujus discriminis ratio: Cœlestis quippe hæreditas adeo lata, ac ingens est, ut licet eam possiderent omnes, adhuc tamen integra ab omnibus possideretur. Itaque cum nemini auferatur quidquam, nulla suppetit litium causa. Sed cum terrenæ hæreditates angustis sane finibus contineantur; neque rem eamdem unus, & alter possidere valeat, quilibet socium prohibere conatur, & hæc est litium omnium origo. *Idem.*

Quid faciendum cum lites agere cogimur.

Cum autem inevitabili necessitate lites agere cogimur, primum illud esse debet, ac inde semper inchoandum est, ut quantum in nobis est contendamus, ut inita conventione lis diriminatur. Quamobrem bona fide viri morum integritate, ac legum doctrina ornatissimi consulendi sunt, atque eorum sententiæ parendum. Ad hoc tamen nobis probata esse deberet insignis veritas, de qua nullatenus possimus persuaderi; videlicet nos facile causæ nostræ æquitate decipi posse, propria utilitate quemlibet semper excæcari, & neminem in propria causa æquum judicem esse, ideoque nobis illud amplectendum esse consilium, cui neque utilitas, neque affectus aliquis nubem offundere potest. *Idem.*

Nemo unus ferme ex iis, qui lites agunt, invenitur, qui sibi religioni vertat, effutire fanda, infandaque omnia, quæ auribus suis adversario acciderunt. Oratores levi negotio clientum animos induunt, optimamque eloquentiæ suæ partem in eo sitam putant si eorum, contra quos agunt, existimationem in ludibrium vertant, eamque iis etiam in rebus proscindant, quæ ad causam minime pertinent: & quemadmodum per miserrimam humani cordis corruptionem oblectamur, ubi facete aliena facta perstringi percipimus; Causidici, qui in hoc dicendi genere excellunt, disertissimi habentur, atque certatim ad causas peragendas usurpantur. Fidelis, qui litem agens, volet tamen semper esse fidelis, non solum de adversariis non obloquetur, verum etiam non fine adfectatione ea omnia proferet, quę bona de illis dicere poterit.

Ecclesiastici a litibus abesse debent.

Ecclesiastici nihil prætermittere debent, ut pacem foveant, animos sedent, diffutam gratiam sarciant, hominesque impellant, ut relictis forensibus jurgiis ultro, citroque mutua charitate litem componant: At tamquam malum gravissimum, & lacrymis uberrimis deplorandum existimare debent, cum mortalium nequitia cogantur sua legitima asserere jura, quæ propter necessarias causas ad Ecclesiæ utilitatem spectantes ut ab aliis infringantur, pati non debent. Extra inevitabilem gravissimamque necessitatem Ecclesiasticus, qui secum diligentius funestos litium effectus reputaverit, nullam sibi unquam movendam litem esse cognoscet, ac malet potius sibi aliquid legitimi juris deperire, quam per difficiles, severasque judiciorum vias illud persequi. Potestne Ecclesiasticus eam non amplecti sententiam, in quam Fideles omnes versari jubet Apostolus? 1. ad Cor. 6. *jam quidem omnino delictum est*, inquit ille, *quod judicia habetis inter vos.* Quid ergo cogitaret ille de quibusdam serventibus